

Ya
830

Ad
SENATUM POPULUMQUE
BUDISSIONENSEM
Super auspiciatissimâ
ARTIS ATQUE OFFICINÆ TYPOGRAPHICÆ
Restauratione

EPISTOLA GRA- TULATORIA

MARTINI STUBRITI,
CURIÆ ELECTORALIS SAXONICÆ SUPREM.
IN MARCHIONAT. LUSAT. SUPER. p.t. ADVOCATI
CAUSARUM ORDINARIJ, ET CIVIS BUDISSIONENSIS.

PRO REGE,
LEGE



ET GRE-
GE.

BUDISSIONÆ,
Exscribemat Typis noviter reparatis felicissimo omine auspicio
que primus post ἀλωσι Budissionensem Chalcographus
CHRISTORHORUS BAUMANN
Anno Salutis in CHRISTO M. DC. LVIIo.
Urbis verò Reconditæ XXIIIo.



C. Crisp. Salustius in Catilinâ
cap. III.

PULCHRUM EST, BENE FACERE REI-
PUBLICÆ; ETIAM BENEDICERE,
HAUT ABSURDUM EST.





VIRIS

NOBILISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS, PRÆMODUM REVE-
VERENDIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS, EXPERIENTISSIMIS, SPECTA-
TISSIMIS, DOCTISSIMIS, HUMANISSIMIS, ORNATISSIMIS, POLITIS-
SIMIS ATQVE PHILOMISIS,
DNNN.

COSS. SYNDI.

CO, PRÆTORIBUS, ÆRARIII TRIBUNIS,
SCABINIS, TOTIQ; SENATUI: ut &
CIVIBUS

OMNIUM ORDINUM HONORATISSIMIS:
LUSATIÆ HEXAPOLITANÆ METROPOLEOS
BUDISSINÆ &c.
PATRONIS, FAUTORIBUS, RESPECTIVE COMPATRIBUS
ATQVE AMICIS SUIIS MAXIMOPERE DEVENERANDIS,

SALUTEM ATQVE FELICITATEM NUNCUPAT

MARTIN STUBRIZ.



Qvod DEUS OPTIMUS-MAXIMUS,
Stator Rerum, felix faustumqve ex alto esse
jubeat,

PATRES CONSCRIPTI,
QVIRITES atqve CONCIVES
OPTIMI,

A 2

tandem

tandem Urbi nostræ famigeratissimæ, patriæ domici-
lioque tot præstantissimorum Virorum, BUDISSÆ, il-
luxit hodiè dies ista: ubi inter cætera ingentia cumulatis-
simaque BENIGNITATIS DIVINÆ argumenta ad pri-
stinum splendorem dirutæ olimque penitus excisæ hujus
Urbis asserendum etiam hoc accedit, ut OFFICINA
TYPOGRAPHICA publica hîc locorum restaurata sit.
Id quod insigne decus publicum & ornamentum totius
Marchionatus Lusatia Superioris FAVORE COELE-
STI per viscera divinæ Misericordiæ, DOMINI NO-
STRI JESU CHRISTI, dulcis istius ac mundo saluta-
ris Nominis, sub desideratissimis auspiciis novi Principa-
tus (quanta gloria? quanta omne satis liquido felicitas?)
Serenissimi & Potentissimi Principis atque Domini, Do-
mini JOHANNIS GEORGII, hujus Augustissimi
Nominis II. di, D. G. Saxonæ, Juliaci, Cliviæ Mòntiumq;
Ducis, S. R. IMPERII PRÆFECTI PRÆTORIO
& ELECTORIS, ejusdemque in Terris & Locis Juris
Saxonici ad S. R. IMPER. pertinentibus pro tempo-
re VICARII gloriosissimi &c. juxtimque vestrâ,

PATRES CONSCRIPTI,

singulari prudentiâ munificisque circa rem literariam li-
beralitatibus in nos derivatur abundè. Et quidem iisdem
hisce diebus, quibus Supplicationes vel Feriæ lugubres
anniversariæ Excidii Budissani ex vestro decreto pruden-
tissimo ab omnibus omninò ac singulis incolarum cele-
brantur in perpetuum memoriæ post-futurorum conse-
crandæ.

Efficit

Effecit profectò hæc res, ut dubius ancepsque meâ
ex parte constiterim, num magis vobiscum in com-
munionem & societate lugendi præterita plangendi que
pertinacior hærerem, quam in contra gratulandum sit
fato felicitatis publicæ; præsertim, si quis ingentia testa-
tissimaque Numinis divini in hanc Urbem collata ha-
tenuis merita de cætero altius intueatur.

Lugendi & ingemiscendi causæ satis superque in
promptu quidem: si quis fata, Trojanorum similima,
quondam antiquissimæ pulcherrimæ famæque super
æthera notæ **URBIS NOSTRÆ** eheu funestissima
animis penitus consideret secum. Dolores haut re-
novabo infandos: quis enim talia fando temperet à
lacrumis? horret insuper meminisse animus, luctuque
refugit: adhuc tamen memoria malorum publicorum
recens est vobis, quæ annis abhinc tribus & viginti, cru-
delis ille **BUDISSÆ** & in eâ **LUSATIÆ** carnifex, tot
cæcorum ignium autor, tristissimique hujus spectaculi
debitor miles Golzianus, Barbaro insolentior, intulit.
Cujus vigilantissimum pectus in exitia vestra semper
sollicitum fuit. Vidistis ardentem crudelitate simul &
superbiâ oculos: vidistis illas fauces, per quas **BUDIS-
SÆ** immò totius **LUSATIÆ** bona transfierunt: vi-
distis & spem & instrumenta vivendi detrahentes, im-
mò risum in crudelitate captantes. Occurrebant o-
mnia dira: sacris publicis tristia auspicia: feriatis ac
solennibus ac hilaritati dicatis diebus semianimes
greges

greges Patrum civiumque oberrabant. Immò (proh dolor!) tandem

--- RUIT ALTO A CULMINE TROIA.
URBS ANTIQVA RUIT, MULTOS DOMINA-
TA PER ANNOS,
PLURIMA PERQVE VIAS STERNUNTUR IN-
ERTIA PASSIM
CORPORA, PERQVE DOMOS, ET RELIGIO-
SA DEORUM

LIMINA.

DIRIPITUR ARDENS TROJA, NEC COE-
LUM PATET

UNDANTE FUMO. NUBE CEI Densa
OBSITUS

ATER FAVILLA SQUALLET ILIACA
DIES.

Contumelabant superstites orbiq; parentes, tri-
stissimâ pietate atqve exitiali præposteritate naturæ, li-
beros, liberique parentes; mariti uxores, uxores ma-
ritos; Sponsi Sponsas, Sponsæ Sponsos, flammis ne-
fandissimis ereptos, seu potius istorum ossa cineresque,
dubio procul quandoque dubios & falsò creditos: O-
mnes ubiqve miseri: miseri, si sciverunt suorum esse
reliquias ardentes & favillas: miseri, si nesciêre. Ita
infeliciùs superfuerunt, quàm perituri fuerant. Felix
enim perhibetur, quisquis omnibus secum consumptis
bello

h
A
N
O
E
SA
CA
tri-
li-
na-
ne-
ve,
O-
esse
Ita
elix
ptis
ello

bello immoritur. Infelix senex vidit jacentes divu'sæ pa-
triæ ruinas: abstractus à conjugè super exustæ uxoris
cinerem stetit: neque, quantum fuit satis, potuit ge-
mere. producebatur miserorum longus ordo. ma-
xima pars se sine se trahebat.

Dum scribo ista, dum scripturus plura sum, obru-
or illicò lacrimis. Succurrunt enim hîc insimul fata
malignantia perpeffi que labores inexplicabiles (quo-
rum & ego à teneris pars magna fui) Patriæ meæ, no-
bilissimæ MISNIÆ, immò totius GERMANIÆ AUI-
GUSTÆ, quæ post tot non hominum tantum, sed &
Oppidorum ac Civitatum funera maxumam partem
in ustulata cadavera occasione belli intestini tricenarij
gravissimi exspiravere. De quibus filere præstat, quàm
pauca dicere.

Ut ut sit: licet & furentibus armis & flammis ul-
tricibus, dirâ fame pesteque truculentissimâ, multisque
aliis vindictæ horridis nominibus Cœleste Numen
transgressionibus nostris excitum nos aliosque Cives
S. R. I. fermè extinxerit, misertus tamen etiam nostri
& superstitum est CUSTOS ATq; AMATOR GEN-
TIS HUMANÆ IMPENSISSIMUS, quando strictum
Ensem justitiæ oleo misericordiæ stillantem tempera-
tumq; recondidit tandem, ejusque

DEXTRA SUUM FULMEN, QUAMVIS VIBRATA, RE-
MISIT;

TENSAQUE PRO GLADIO LEVIS OLIVA FUIT.

Inde

Inde est, ut cœlesti fu'gore & summæ TRINITA-
TIS favore mentibus iterum compositis consistere no-
biscumqve morari possimus, immò etiam adinvicem
congratulari: dum post læsa secula favor cœlestis pa-
cisqve vigor tempora nostra solidè firmavit. Est, uti sci-
tis, rerum irrecuperabilium oblivio si non summa ta-
mē ingens felicitas. Novimusqve omnes, tantam cir-
canos divinæ humanitatis sese exerere singulis dilucu-
lis providentiam, ut semper æternis liberalitatibus nos
sustentare dignetur. Quamquam difficile sit etiam,
attritas opes recolligere & spes fractas novare, amif-
forum tamen & deperditorum solatia, DEO AU-
CTORE, cui laus perpetuò sit dicta, & jam dudum
sensimus, & adhuc expectamus, meliora mitioraqve
semper ab eo expectaturi, qui & res penitùs desperatas
donare & consummare suæ virtutis magnitudine po-
test.

Jure meritoqve igitur vobis,

CONSCRIPTI PATRES,

QVIRITES OPTIMI,

& mihi gratulor de renatâ nostrâ BUDISSA, quòd in-
felicissima hæc Respublica, quæ tempore ultimi Exci-
dii Golziani non ampliùs resurgere potuisse credita
fuit à toto Orbe, in OPTIMI-MAXIMI PRINCIPIS
SINUM, dispice DEO ita moderante, infortunio quo-
dam quasi saluberrimo, ceciderit. Dum paullo post ad
quondam Serenissimum & Potentissimum Principem,
Clemen-

Clementissimum Dominum, Dominum JOHAN-
NEM-GEORGIUM, auspiciatissimi Nominis PRI-
MUM, Ducem Sax. Jul. Cliv. Montium, S. ROM.
IMP. ARCHI-MARSCHALCUM SEPTEM-VI-
RUMQVE AUGUSTALEM, modò augustissimæ
memoriæ, ejusdemqve REGIAM GENTEM NU-
MEROSISSIMAM pleno hæreditarioqve jure Illu-
stris Marchionatus LUSATIÆ nostræ SUPERIORIS,
in eâqve Metropolis hæc BUDISSA divinitus deve-
nerit. Superioris Numinis & fluentis inde benignita-
tis fuit, qvòd sub RUTA ELECTORALI SAXO-
NICA cursus veri saluifici æterniqve EVANGELII
inoffensus nobis hucusqve patuerit, BUDISSAQ; pro-
strata & conculcata magis magisque in diem sub JO-
VÆ & SAXONIS excubitore Oculo paternisque gre-
miis ad pristinos splendores, qvos jam olim sub nitidis-
simis & fortissimis divæ AQVILÆ S. ROMANI IM-
PERII alis & pennis sibi asseruit, paulatim enititur
atqve mox eluctabitur.

Beatissimos igitur PRINCIPIS AUGUSTISSI-
MI, SANCTISSIMI, TAMQVE OPTIMI PATRIÆ
OMNIMQVE BONORUM PATRIS manes hu-
manorum Operum Custos Memoria, qvæ mansuri vi-
ta perpetua est, in omnia secula sacratos dabit: qvi, si
ad desiderium populorum respicimus, PARUM VI-
XIT: si ad res gestas, SATIS VIXIT: si ad injurias for-
tunæ & præteritum afflictissimum REIPUBL. ROMA-

B

NÆ

NÆ h.e. SACRI IMPERII statum, NIMIUM DIU
VIXIT: si ad memoriam operum suorum, SEMPER
VICTURUS EST. Cujus virtutis idem erit finis,
qvi immortalium. Nihil aliud in isto intercidit,
qvàm corpus fragilitatis caducæ, morbis obnoxium,
casibus expositum, mortalitati objectum; animus vero
divinâ origine haustus, cui nec senectus ulla, nec mors,
onerosi corporis vinculis exsolutus, ad sedes suas & co-
gnata sidera recurrit.

Ex merito & debito etiam vobis mihiqve gratu-
landum censeo de auspiciatissimo novo Principatu Se-
renissimi moderni ELECTORIS SAXONIÆ, S. R.
IMPERII VICARII AUGUSTISSIMI, Marchionis
Misniæ, Superioris Inferiorisqve Lusatia & Buggravi
Magdeburgensis &c. SANCTISSIMI, DIIS SIMILIMI
IISDEMQVE PROXIMI PRINCIPIS, felicissimi
heredis & Successoris paternæ avitæqve Majestatis, glo-
riæ atqve prosperorum. Hic Princeps hic est certis-
sima salus atqve Tutela Imperii: cuius vigilantissimi
animi gubernatione Religio, Fas, Pudor, aurea Pax,
dives Concordia omniaqve de cætero Vota nostra no-
bis cæterisqve populis SUÆ SERENITATIS Imperio
subjectis quam abundantissimè constabunt.

Noctis dubio procul, qvanta divina res, quantum
beneficium, quam stupendum Germaniæ Inventum
immò summum in ultimis seculis miraculum sit TY-
POGRAPHIA, ars memoriæ, mors oblivionis, inge-
niorum;

niorumque asylum; quod unum beneficii cœlesti-
ssimi genus cum omnium veterum inventis licet
præstantissimis certare de facili potest. Cujus stupen-
dæ artis, rei inventiqve gloriam DEUS soli GERMA-
NIÆ nostræ præ cæteris patentissimi Mundi partibus
Incolisque concessit atqve servavit clementissimè. Un-
de Philippus Beroaldus Italus, homo gratæ mentis, in
Tanta Germaniæ merita exclamabat:

O GERMANIA, MUNERIS REPERTRIX,
QVO NIL UTILIUS DEDIT VETUSTAS,
LIBROS SCRIBERE QUÆ DOCES PRE-
MENDO!

Optimè sanè de totâ Republicâ literariâ immò EC-
CLESIA CHRISTIANA merentur Typographi.
Plus hisce debet Christianus Orbis, quàm cuiquam for-
tissimorum belli Ducum ob propagatos fines patria
debuit unquam. Hinc de Aldo Manutio, Typogra-
pho Venetorum ingeniosè satis Beza:

Didonis cecinit rogum disertus
Maro: Pompeii rogum Lucanus:
Et disertè adeò hoc uterqve fecit;
ut nunc vivere judicerur illa,
nec jam mortuus hic putetur esse:
imò sunt redivivi & hic, & illa,
Ergò credere fas erit Poëtas
Diyos; utpotè qui loquendo possint

vitam reddere mortuis: quod ipsis
est Divis proprium & peculiare.

Quod si credere fas Deos Poetas;
vitam reddere quod queant sublatam:
quantò est justius æquiusque, quæso,
Aldum Manutium deum vocare;
ipsis qui potuit suo labore
vitam reddere mortuis Poëtis?

Per hanc utilissimam ARTEM, Barbariei alexi-
pharmacon certissimum, Via strata tritaque patet ad
pacem publicam, ad virtutum doctrinarumque myste-
ria, ad Religionem, ad Cœlum, ad CHRISTUM ipsum
denique SALVATOREM gentis humanæ unicum
eumque dulcissimum. Hoc illustri atque ingenti be-
neficio in tanta mysteria studiorum PIETATIS & HU-
MANITATIS facillimo negotio introspicere illucq;
se intromittere potest cerea atque tenerrima Christiana
nostra Juventus, nova illa sementis virorum. Cujus
profecto summa cura summaque ratio à Magistrati-
bus, Reipublicæ Curatoribus atque Tutoribus publici
status, nec non à parentibus habenda est quoque tem-
pore quamprovidentissimè, nisi iniqui vel injurii esse
velimus in gloriam Numinis Nominisque divini, in sa-
lutem publicam, atque emolumenta animarum No-
strorum. Quæ enim Respublica tandem futura, in-
quit quidam summæ opinionis ex numero Politico-
rum,

rum, si veteres, ut sic dicam, arbores excidantur aut
concidant, novellæ stirpes autem non depangantur in
earum locum? Vastitas profectò & tenebræ, & boni
honestique inscitia, & quod sequitur, contemptus.

Gaudete itaque ex animis,

PATRES VIRIQUE OPTIMI,

quod nostra Civitas tanto dono divinissimo, Officinæ
Typographicæ scilicet, & insuper novo cive iterum jam
aucta sit.

Quod restat: supremum Numen piis fatigo pre-
cibus, quo Terris SACRI ROMANI IMPERII, ut &
toti Nomini Christiano, huicque Urbi quondam fu-
nestissimæ, atque toti illustri Marchionatui Lusatix Su-
perioris concedat atque servet otii dulcedinem, Divam
Pacem, tot sumptibus desideriiis atque suspiriis quæsi-
tam, Lucemque VERBI DIVINI flammantissimam:
servet atque tueatur Clementissimum Dominum no-
strum, ELECTOREM SAXONIÆ, S. R. I. VICA-
RIUM vigilantissimum; exarmet istum Numine Spi-
ritus sui Sapientiæ, Consilii, Consolationis & Fortitudi-
nis: largiatur in hâc nocte atque miseriâ Temporum
quamcitiùs Caput Christiano Europæo Orbe dignissi-
mum, piissimum, augustissimum, pacificum: terreat
â limine S. R. I. præfidiis cœlestibus Angelorum Tur-
cos, aliosve immanissimos Barbaros, Barbarorumque
similes, Nominis Christiani Sacrique Romani Imperij
hostes, ipsa fronte crudeles, & humano sanguine assve-

B 3

tos:

ros: det Magistratibus gratiam, ut **COMMUNE**
MAGNUM, quicquidque publicè salutare non est,
privatim alienum existiment: donet subditis obedi-
entiam, bonorum affluentiam, vitam piam felicem at-
que tranquillam: **BUDISSÆ**que nostræ fata renasci-
turi Phœnicis, ut quæ quondam cecidit, per **DEI** mi-
sericordiam atque **PRINCIPEM NOSTRUM GRA-**
TIOSISSIMUM fortuna resurgat iterum quam ocyus.

Finio cum voto solenni, quod pro Cæsare, Senatu
Populoque Romano Augustissimo sui temporis funde-
bat Carminum Princeps **Q. Horatius Flaccus Venu-**
sinus:

DII PROBOS MORES DOCILI JUVENTÆ,
DII SENECTUTI PLACIDÆ QUIETEM,
ET BUDISSINÆ DATE REMQUE PRO-
LEMQUE

ET DECUS OMNE!

FIAT! FIAT! & ut FIAT, DICAT IS, qui DI-
XIT, & mundus FACTUS EST.

Valete in altissimâ animi tranquillitate,

PATRES DOMINIQUE

PL. ÆSTUMANDI,


mihi Meisque benè cupere pergite.

Scripsi **BUDISSÆ** ex Museo **ANNO DO-**
MINICO. CIO IOC LVII. Mense Aprili, vo-
lante & occupatissimo stylo,



MINE ET FAVORE RUTÆ

BUDISSA CINEFACTA SUB NU



ELECTORALIS SAXONICÆ EF

FLORESCET UT LAURUS.

Publ. Virgil. Maronis
aureum Suspirium:

NULLA SALUS BELLO: PACEM TE POSCI-
MUS OMNES!

2/10

W 0 6 8

REGIALE SACHSIS

UNIVERSITÄT



INSTITUT

Publ. Virgil. Maronis

antiqui scriptura:

NULLA SALUS BELLO: PACEM TE POSCIS
MIS OMNES!

W 0 7 9

107



Q. H. 145, 22

SENATUM
BUDISS
Super
ARTIS ATQVE O
Resta

EPISTO TULA

MARTIN
CURIAE ELECTORAL
IN MARCHIONAT. LU
CAUSARUM ORDINAR

PRO REGE,
LEGE



BU
Exscribemat Typis noviter re
que primus post αλωσιν
CHRISTOR
Anno Salutis in
Urbis verò

α
30

EM.
I

picio.

